



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

2. Quomodò accipiatur gratis per fidem in Christum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

Iustificatio accipitur gratis per fidem in Christum id est, sine merito præcedenti, & secundum gratiam imputatur, non secundum debitum Rom. 4. Alioqui gratia non esset gratia, Rom. 11. Igitur particula, gratis, excludit conditionem meriti seu nostræ dignitatis, idque propter duas causas præcipuè: Primum, ut in Christum mediatorem transferatur causa beneficii, hoc est, ut intelligamus nobis ignosci non propter nostram dignitatem, sed propter Christum: Illud constituit pater propitiatorum in sanguine ipsius, Rom. 3. Secundò, ut beneficium sit certum, Rom. 4. idè ex fide, ut promissio sit firma: si enim pendèret ex conditione nostræ dignitatis, fieret incertum. nam si conscientia iudicaret ita nobis ignosci, postquam satis magnam contritionem, & alia merita habeamus, facile aliquis qui non satis magnam contritionem & merita se habere putaret, prorsus adigeretur ad desperationem, & fieret incertum promissum in Evangelio. Sunt enim duplices promissiones in scripturis, legales, ut Leuit. 18. Qui fecerit ea homo, viuet in eis, Matt. 19. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Tales autem promissiones sunt conditionales, hoc est, habent conditionem implendi legem: Est etiam promissio propria & Evangelica, & hæc est gratuita vel immerita, id est, non habet conditionem legis tanquam causam beneficii, seu conditionem nostræ dignitatis tamen si habeamus conditionem fidei. Facit igitur hæc particula, gratis, discrimen inter promissiones legales & Evangelicas. Est quoque necesse, tenere hanc particulam, gratis. Nam in vero agone & certamine conscientia non disputat, vtrum Deus sit misericors, an remittat peccata: sed illud querit, an nobis & indignis velit remittere: Hic est vnus portus conscientia tenendus, quod certum sit gratis remitti peccata, quod promissio Evangelij propria sit & gratuita, nec habeat conditionem nostræ dignitatis. Nec

tis. Nec tollitur per particulam, gratis, contritio vel pœnitentia, fides, sacramenta, nec opera sequentia iustificationem, vt obedientia legis: nec enim omnia exiguntur, sed vt intelligatur quòd in opere iustificationis gratis imputatur nobis iustitia propter Christum sine nostro merito, vt laudetur gloria gratiæ Dei, Ephe. 1. Sed extra opus iustificationis necessariã esse obedientiam legis, vt patebit in sequentibus. Vt enim beneficium transferatur in Christum, & vt conscientia nostra sit certa, ideo Apostolus vtitur huiuscemodi particula, gratis.

Iustificationem necessariò sequi debet obedientia legis. Nam tametsi iusto non est lex posita, quòd ad accusandum attinet, aut quòd peccatorem iustificet: est tamen ei posita, quatenus docet eum, & requirit obedientiam: nam docet quid Deo placeat, 2. Tit. 3. Omnis scriptura diuinitus inspirata, &c. Causæ igitur, quare necessariò sequi debeat obedientia legis iustificationem, sunt: Prima, quia Deus mandauit vt obediamus. Luc. 6. Quid autem vocatis me, Domine domine, & non facitis quæ dico vobis? 1. Ioan. 5. Hæc enim est charitas Dei, vt mandata eius custodiamus. Secunda, quia non potest existere fides in ijs, qui nõ agunt pœnitentiam, sed laxant frenum cupiditibus, Luc. 11. Misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum. Rom. 6. Si secundum carnem vixeritis, moriemini, id est, Non retinebitis. Tertia, quoniam fides extinguitur, si non exerceatur inuocatione, afflictionibus, & bonis operibus, sicut habetur in cantico Deuteronomij 32 Deum qui te genuit, dereliquisti, & oblitus es Domini creatoris tui. Sit Matt. 5. Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cœlis est. Semper enim operibus præire debet fides, vt cogitet mens se obedire velle Deo, & hoc opus placere Deo propter Christum, & roget vt regatur à Deo:

3.

Causa I.

II.

III.

Deo: